



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

89. Iudex pronunciauit sententiam condemnatoriam ad furcam qui postea  
ex gratia Principis fuit à morte liberatus, quæritur an adhuc sit irregularis,  
ita ut non possit ordinari absque dispensatione ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

3. Sed dato quod Dominus Consulens in dictam irregularitatem incurritur. Respondeo ad secundum dubium quod posset dispensari ab Episcopo vigore Concilii Tridentini *sess. 24. c. 6. de Reform.* vel à Confessario Regulari privilegiato (suppono, vt ex facto patet, homicidium de quo est questio, esse adhuc occultum.) Probatur prima pars ex dicto decreto Concilii Tridentini ubi conceditur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario. Atqui homicidium ex defectu lenitatis non dicitur propriè homicidium; homicidium enim est factum iniustum lege humana, & Divina prohibitum, vt ex Sancto Augustino *lib. 1. de libero arbitrio cap. 4.* tradit Sanctus Thomas *2. 2. q. 64. artic. 6.* Ergo Episcopus in homicidio iusto poterit dispensare.

4. Et ita hanc sententiam docent Doctores, quos citat & sequitur Barbosa de *Potestat. Episcopii part. 2. allegat. 39. num. 4.* Quibus ego plures alios addidi in *part. 4. tract. 2. resol. 69.* & nunc ad me citato ex Societate Iesu Patrem Baunium in *Theolog. moral. tom. 2. tract. 11. quasi. 59. §. Dico sexto, vers. est tamen contraria opinio; & Machadum de Perfect. Confess. tom. 1. lib. 1. p. 3. docum. 8. num. 21.*

5. Vnde ex his Cardinalis Cajetanus in *Summas ver. Irregularitas num. 3. & 4.* Sic ait; Scito quoque quod appellatione irregularitatis homicidii voluntarii non venit irregularitas propter occisionem hominum in bello iusto, aut iudicio iusto: quoniam ubi non intervenit homicidium, ibi non invenitur irregularitas homicidii. Constat autem quod quando homo iuste occiditur, non committitur homicidium; quoniam homicidium species est criminis, non enim significat occisionem hominis qualemcumque, sed iniustam; ergo non est ibi irregularitas homicidii sive voluntarii, sive involuntarii.

6. Cum quo tamen fiat quod intervenit in huiusmodi alia irregularitas, puta causa sanguinis usque ad mortem. Et hæc idem sunt adiecta, vt sciant privilegia in dispensatione Irregularitatum circa homicidium voluntarium, posse dispensare in omnibus casibus occisionis humanæ in quibus non intervenit crimen homicidii. Nec sint de cætero propter hæc solliciti ad petendum dispensationem à Papa; quia ipsi possunt dispensare. Hucusque Cajetanus.

7. Quod autem idem dicendum sit de Confessariis Regularibus, probatur ex privilegiis eis concessis à Sixto IV. & Iulio II. quæ refert Hinojosa in *dir. Decis. Regul. verb. Dispensatio in seculares fol. 187.* & Brunus Challaing de *Privileg. Regular. part. 1. tract. 5. c. 4. propos. 1.* ubi sic ait; Potest Sacerdos Regularis dispensare seculares super omnibus irregularitatibus occultis, super quibus Episcopus ex concessione Tridentini dispensat, ac consequenter in quibusdam irregularitatibus ex homicidio voluntario iusto, vel iniusto contractis. Ita ille, qui postea latè hanc conclusionem confirmat. Et idem docet etiam Bassæus *Flor. Theol. verb. Irregularitas 15. n. 10.* Martin. de San Ioseph *post Reg. S. Francisci in Compend. de las facultades de los Confessores, verb. dispensare, n. 3.* Pellizarius in *man. Regul. tom. 2. tract. 8. c. 3. n. 90.* & Caspensis in *conf. Theolog. tom. 2. tract. 25. sect. 13. n. 120.* qui citat Rodriguez, Cordobam, Ioannem de la Cruz, Sayrum, & Henriquez.

8. Verum, si Episcopus, & Confessarius Regularis nollent has opiniones ad praxim deducere; Respondeo ad dubium tertium posse Dominum Consulentem ad Sacram Pœnitentiam confugere, nam vt ex facti narratione apparet, hoc homicidium non est publicum, & licet actiones factæ à Domino Consu-

lente circa cooperationem ad illam necem à pluribus sciatur tamen nesciunt per illa irregularitatem incurrisse; & dato quod hoc scirent, hodie vt apparet talis scientia remaneret tantum apud quinque personas, vt patet in facto mihi exhibito: Vnde delictum non potest dici publicum, sed occultum, vt ego probavi ex pluribus Doctoribus in *part. 7. tract. 2. resol. 15.* quibus nunc addo Emanuëlem Sà *verb. manifestum, n. 4.* ubi sic ait; Occultum dicitur, quod tale non est etiam si possit probari, & quod penè est occultum, idest difficile probatur: Denique etiam quod quinque sciunt, occultum dicitur.

9. Itaque ex his omnibus apparet, Dominum Consulentem vel irregularitatem non incurrisse: vel dato quod incurrit, posse super illam Episcopum, vel Confessarium Regularem privilegiatum dispensare, vel ad Sacram Pœnitentiam recurrere quod securius putarem: Et licet ego sciam adversus aliqua ex superius dictis plures Doctores probabiliter contrarium asserere, tamen existimo, ea quæ diximus à Doctoribus citatis non minus probabiliter, ac valide sustineri, ac doceri. Ita sentio, salvo aliorum meliori iudicio.

## RESOL. LXXXIX.

*Index pronuntiavit sententiam condemnatoriam ad furorem, qui postea ex gratia Principis fuit à morte liberatus, quaritur, an adhuc sit irregularis, ita vt non possit ordinari absque dispensatione Pontificis?*

*Idem est, si quando reus duceretur ad patibulum, esset extrahens è manibus satellitum, & sic mortem evaderet.*

*Et quid, si à Carnifice suspensus fuisset, & casu laqueus rumpitur, si propter hoc gratiam à Principe reciperet?*

*Et an Clericus habens jurisdictionem temporalem, fiat irregularis ex eo, quod constituitur iudex pro causis, seu criminibus capitalibus, sive in genere pro omnibus, sive in particulari pro aliquo adhuc individuo?*

*Idem est, & multo magis verum de Principe laico.*

*Et docetur, quod non sunt irregulares Ecclesiastici, qui aliquem degradatum, aut hæresen condemnatum, tradunt Curia seculari, ac proinde eorum Officiales multo minus.*

*Et an accusator, Advocatus, & testis fiant irregulares, si in causa sanguinis protestationem premittant?*

*Et quis potest dispensare contra presentem irregularitatem contractam ex defectu lenitatis? Ex p. 11. tr. 5. & Misc. 5. Ref. 6.*

§. 1. **A**ffirmativam sententiam tenet accuratus Sup. confecto in his materiis Conradus Pyrrhus in *praxi in hoc §. inf. dispens. Apost. lib. 5. c. 2. n. 3.* & 4. dicens, Romæ petenda esse absolutionem ab iis, qui aliquo modo se ingererunt in causis sanguinis, licet postmodum mors sequuta non fuerit, neque sanguinis effusio, quia nihilominus remanent irregulares, cum per ipsos non steterit, quominus omnem operam præstitissent, vt mors, aut mutilatio sequeretur, & contradicit Mandato afferenti dispositionem esse Episcopalem: cum ius totius ex consuetudine recurratur ad Summum Pontificem. Cui congruit sententia Follet, in *praxi crim. part. 2. c. 24.* & Lopez ad Diaz in *praxi Can. cap. 99. in verb. puniendum.* Hanc etiam sententiam tenet D. Antoninus *3. part. tit. 18. cap. 2.* qui ex sola sententia condemnatoria iudicem fieri irregularem voluit, cui ita adhæsit Majolus *lib. 2. cap. 6. numero 3.* vt dixerit solum officium iudicis in criminalibus efficere irregularem.

gularē, etiam nulla sententia sanguinis pronunciata fuerit, quamvis tunc ab Episcopo dispensari possit, citatque vetustissimum interpretem Canonum Hugonem, relatum, & probatum hac in parte à Speculatore. *tit. de dispensat. §. iuxta*, affert præterea Maiol. *Summa Confessar. q. 23. de homicidio hoc est, tit. 1. lib. 2.* Idem quoque tenuit Plovi. *tr. de irregular. 7. regula*, & Alphonsi. Alvarez. *in suo Thesaur. cap. 38. 7. regula.* Verum hæc opinio mihi non placet, cum sit contra communem Canonistarum & Theologorum, quos plena manu adducit, & sequitur Ioan. Bapt. Ciarlinius *Controvers. forens. tom. 2. cap. 203. num. 17.* ubi me etiam citato, concludit, asserentes irregularitatem non contrahi ex homicidio, siue voluntario, siue licito, siue iustitia mediante facto, nisi verè sequatur effectus, quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit intentio occidendi, vel mutilandi, vel attentatum, sed requiritur actualis occisio, vel mutilatio hominis, stante quod irregularitas imposita est homicidio voluntario, non attentato. Et hanc sententiam novissimè probat Gibalinus de *irregular. quest. 3. confellar. 7. num. 4.* & ante dixerat Ioan. Præpositus *in 3. part. quest. 5. de irregular. dub. 13. num. 98.* Ioan. Soria *in Epilog. summ. part. 2. tr. 1. sect. 2. disp. 7. §. circa defectum lenitatis.* Vnde si aliquis reus duceretur ad patibulum, & esset extractus à manibus satellitum, & sic mortem evaderet, iudex non esset adhuc irregularis; imò si neque à carnifice suspensus fuisset, & casu laqueus rumperetur, si propter hoc gratiam à Principe reciperet, iudex absque dispensatione posset Ordinibus initiari. Non est igitur audiendus Pyrrhus *ubi supra*, & à fortiori Maiolus contra quem nominatim insurgit Layman *lib. 3. tr. 3. cap. 7. num. 1.* Gibalinus *ubi supra.* Vide etiam Chartarium *decis. criminal. 30. num. 34.* & Sperellum *tom. 1. decis. 77. num. 11. seqq.*

Sup. hoc supra Ref. 81. & in alio §. eius not.

Sup. his infr. in tr. 10. in Ref. 79. §. 2. ante mediū à vers. Probat minor. & legq.

Sup. his sup. magis late in Ref. 87.

Sup. hoc te. ste sup. in Ref. 85.

2. Notandum est hic obiter, quod Clericus habens jurisdictionem temporalem, non fit irregularis ex eo quod constituat Iudicem pro causis, seu criminibus capitalibus, siue in genere pro omnibus, siue in particulari pro aliquo, adhuc in individuo, quamvis sequatur mors, ut constat ex dicto cap. 3. & idem est, & multò verius de Principe laico: quia Clerici quoad hoc non sunt magis exempti quam laici. Nec sunt irregulares Ecclesiastici, qui aliquem degradatum, aut hæreseos condemnatum, tradunt brachio sæcula, ut deducitur *ex cap. Novimus, 27. de verb. signific. ac proinde eorum Officiales multò minus sunt irregulares, quia multò minus cooperantur, quam ipsi iudices tradentes.* Vide Præpositum *ubi supra*, & alios communiter.

3. Nota etiam, quod non solus accusator, sed probabiliter etiam advocatus & testis non sunt irregulares si in causa sanguinis protestationem præmittant, quia in his eadem est ratio: nam cui conceditur aliquid, censetur etiam concedi illa, quæ ad id sunt necessaria, ne concessio sit inutilis: at privilegium concessum accusatori in aliquibus casibus sine metu irregularitatis præcedente protestatione inutile videretur, si testis non posset absque irregularitate cum protestatione testari. Et idem est de avvocato: nam præ timore tantæ pœnæ retraheretur à testando; sicque nihil probare posset, nec obtinere. Et probabile etiam esse puto, nec fieri testem irregularem, quando vel iure naturæ, vel iusto iudicis præcepto, vel gravi metu coactus obligatur ad fatendum testimonium in causa sanguinis, præmittendo protestationem: tunc enim non videtur voluntarie ad mortem concurrere. Ita Cornejo *disputat. 11. dub. 1. quest. 7.* Et pro probabilitate harum opinionum plures alibi adduxi, quibus nunc addo Caspensem *in curs. Theol. tom. 2. tr. 25. disp. 5. sect. 13. num. 88. cum seqq.* & Lessium *in 3. part.*

D. Thom. c. 2. de irregular. dub. 5. num. 15. ubi sic ait: Probabile est ab irregularitate testem excusari in eo casu, in quo tenetur in conscientia testari, præsertim si protestationem adiungat, quamvis hæc etiam non videatur esse necessaria. Ita ille, cui adde Escobar *in Theol. moral. tr. 4. exam. 6. c. 3. §. 5. n. 238.* ubi admittit hoc etiam in avvocato.

4. Sed, quis potest dispensare contra præsentem irregularitatem contractam ex defectu lenitatis? Caspensis *ubi supra. n. 4.* ait, Prælatos regulares posse dispensare in irregularitate contracta ex defectu lenitatis circa suos subditos, quia habent privilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia, & homicidio voluntario. Certius est eandem facultatem habere Commissarium Cruciatæ, quia in ejus commissione dicitur, & super quacunque alia irregularitate, quæ non procedat ex homicidio voluntario. Ita Caspensis. Sed quid dicendum de Episcopis? Lessius *loco cit. dub. 6. n. 21.* sic asserit. Respondeo Episcopum non videri hinc posse dispensare, ut plerique Doctores affirmant. Ratio est, quia ante Concilium Tridentinum non poterat; & per Concilium non est ei facta potestas, nisi in irregularitate orta ex delicto occulto: hæc autem ex delicto non oritur.

5. Nota tamen, non esse improbabile, Episcopum posse in hac dispensare, ut docet Covar. *5. in fin. Ratio est, quia istud homicidium æquiparatur homicidio casuali in iure (vide, quod casu factum est) in quo potest Episcopus dispensare. Vnde per quandam *in iur. colligimus* simili modo posse dispensari in isto. Hæc Lessius. Sed de his alibi à nobis etiam tractatum est.*

SUBSEQUITUR SUB HOC  
eodemque numero hujus Ref. 89.  
eadem questio, videlicet.

An Iudex proferens sententiam sanguinis, & ejus ministeri iustitia in ea cooperantes, si mors ex aliquo casu postea secuta non fuerit, incidat, hoc non obstat, in irregularitatem?  
Et deducitur, quod quando versatur in dubio iuris in quo casu, quid non teneatur se habere pro irregulari.  
Ex p. 12. tr. 3. & Misc. Ref. 5.

§. 1. CAsus potest frequenter accidere, & de illo supradicta ego interrogatus fui per litteras ex Gerardo in Lib. mania, ac sententiam affirmativam tenet Philippus Fabrus de *censuris in 4. distinct. 25. quest. 1. dub. 1. que cap. num. 212.* ubi sic ait. Dubium occurrit de curialibus, qui in causa Criminali. Nam Suarez distinguit de Curialibus, dicens, quod omnes sunt irregulares, quando in ministerio permanent; Quosdam vero illo dimisso non manere irregulares; scilicet illos quorum causa sententia sanguinis non fuerit deducta ad actum, quod probat *ex cap. 1. distinct. 51. per illa verba*, qui dum parent potestibus, quæ sunt imperata, fecerint, & cap. 2. eadem distinct. ex Glossa, quæ exponit ista præcepta esse sæva præcepta, & per caput Osius, *distinct. 61.* & supra eadem *disput. sect.* probavit quod iudex per prolationem sententiæ sanguinis non fit irregularis, nisi sequatur effectus ex Navarro *num. 211.* Sylvest. *homicidio 3. numer. 3.* & aliis adductis ab eis. Atque idem dicit de Advocato in causa sanguinis; si enim sequatur causa sanguinis aut remanere irregularem siue patrocinetur contra Reum, siue pro reo, adhibitis quibuscumque limitationibus, sin minus dimisso officio nequam.

2. Ego autem puto omnes Curiales, & Advocatos